

Andreas Daniel Habichhorst Johannes Kuntz

Dissertatio Politico-Historica De Imperio Romano-Germanico

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730582116>

Druck Freier  Zugang




RL 1670

Andreas-Daniel Habichtshorn

Johann Kunz





DISSERTATIO POLITICO-
HISTORICA
DE
IMPERIO
ROMANO-
GERMANICO,

Quam

In Illustriff. Acad. Rostoch,
Amplissima Facult. Philos. consentiente

SUB AUSPICIIS

SUMMI IMPERATORIS,

PRÆSIDIOQUE

M. ANDR. DANIELIS
HABICHHORSTII,

S. THEOL. CANDID.

ad publicam placidamq; *συζητησιον* Academicam
IN AUDITORIO MAJORI

proponit

JOHANNES Runtz/

Gryphisvv. Pom. Phil. & Juris Stud.

Ad d. III. Decemb. hor. mat. Anno M. DC. LXX.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and paper texture.



I. N. D.



nterest civium, Republicæ, in qua vivunt, novisse historiam & statum. Alii ergo de aliorum regnorum historia statuq; sint solliciti, nobis in præsentia nostrum contemplari Imperium Romano-Germanicum, quantum quidem Historia & Politica permittit, per temporisq; angustiam aliaq; impedimenta licet, exercitii & informationis causa alubescit. Est igitur

MEMBR. I. explicans VOCES.

§. 1. Cum vocabulorum cognitione ad sanio rem rerum ipsarum intellectum perveniamus, brevè eorum præmittere explanationem sedet. *Imperium* vero ab imperando dici quis nescit? Qui imperio præest, imperare debet: illud officii ratio postulat, ut bene constitutam Rempubl: ritè administrando & decenter imperando conservet. Est autem æquivoca vox Imperii: modo enim accipitur pro territorio & locis quæ Romanæ potestati subjecta, vel eandem recipiunt: modo pro ipsa potestate: modo pro ipsa Rempubl. forma: modo pro Imperatore, statibus & reliquis membris tanquã aggregato ordinato. Nos posteriori modo accipimus, ita tamen ut illud etiam ratione territorii & potestatis consideraturi simus.

§. 2. *Romanum* vero appellatur nostrum, de quo agimus, Imperium à *Roma*, cujus cives primi ejus exstiterunt conditores. Uti enim urbs *Roma* à suo olim fundatore *Romulo*, ita & Imperium nostrum ab hac urbe, cui natales debet, *Romanum* meritò audit. Quod si enim imperium, quod *Constantinus M.* in orientem transtulit, *Romanum* fuit appellatum, & *Romani* Imperatoris titulum dignitatemq; retinuit *Constantinus* sedem transferens, uti pluribus id monstravimus in *Disp. nostra de Constantino M.* m. 4. §.

3. quidni & nostrum, quod Imperatores nostri acceptum referunt orientalibus & translatum est ad Germanos, ceu m. 2. §. 2. dicitur, denominatione isthac gauderet? Neq; vero imperium etiam nostrum appellationem suam, quam in translatione tempore Caroli M. facta accepit, amisit, nec per vim ab aliarum gentium Regibus occupatum fuit & retentum. Hinc est quod passim in Recessibus Imperii & Capitulationibus Imp. Romanorum vocatur das *H. Römische Reich Teusscher Nation*. Et licet urbs Roma hodiè sit amissa, Romani tamen imperii & Rom. imperatoris titulus ac dignitas manet, quamdiu pars ejusdem imperii remanet, idemq; ab aliarum gentium Regibus per vim non occupatur & retinetur. Certè cum Constantinus M. amplissimum suum in tres partes divideret imperium, tribusq; illas filiis addiceret, tum illi quoq; filii (Constantinus & Constantius) quibus dominium Romæ ipsius non competeat, Romani imperatores appellabantur, & illæ quoque imperii partes, quibus Roma non comprehendebatur, Romani Imperii partes adhuc dicebantur. Et licet quondam fuerit Roma caput mundi; nunc tamen juxta Poëtam (vel potius eo tempore quo Poëta scripsit)

Quemcumq; sibi Germania Regem

Præficit, hunc dives submisso vertice Roma

Suscipit & verso Tyberim regit ordine Rhenus.

Quid? quod Imperium Romanum est istorum Regnorum & quidem IV. quæ Daniel designavit cap. 2. conf. Disp. nostr. de *Colosso Nebucadnezar*: Si autem est istorum regnorum quartum, ipsum quoque illud IV. regnum adhuc persistat, ad Germanos translatum. Cæterum observare etiam licet, quibus imperium R. competit, eos id parum usurpare. Papæ certè Romani glaucomata sæpè objecerunt Regibus Germanorum, quibus eos ab usurpatione arcerent.

§. 2. Dicitur tandem *Germanicum*, de cujus vocis origine nunc non attinet commentari. Dicitur vero ita ab Imperatoribus, qui ex Germania oriundi, vel Germaniæ habenas moderantes imperio Romano legitime sunt præfecti, Romanisq; Imperatoribus successerunt, quod pluribus seq. membro erit ostendendum.

MEMBR. II. de CAUSA EFFICIENTE.

§. 1. Rem ipsam nunc uberius declaraturis causas Imperii & alia considerare incumbit. Quod attinet *causam efficientem* & quidem

dē principalem, est illa Deus; minus v. *principali* fuerunt Romani, & postea Germani, ad quos est translātū quiq; illud virtute sua maximè sunt meriti. De Deo quidem testatur scriptura, quod transferat & stabiliat regna, quod Regibus e. c. Nebucadnezarī Monarchæ Babylonico, regnum & potentiam concedat. Uti ergo alia magna, imperia divinitus constituntur, ita & imperium Romanum. Mirari autem hic subit, quàm ex parvis sæpe constituantur initis, quàm & consilia viresq; humanæ quantumvis ingentes ad constituenda, retinendaq; imperia non sufficiant. Quantam quæso terrarum partem complexa, quantisq; instructa divitiis Persica erat potentia? hanc tamen evertit in horridis natus Macedonia montibus Juvenis *Alexander*, quod fieri non potuit, nisi Deo Ducem armante & eventum dirigente. Quid mirabilius est, quàm urbem Romam, cum primo esset exigua, dein turbulenta, domesticisq; subinde quassaretur discordiis, ab externisq; simul non raro vinceretur hostibus, tandem devictis Græcis, Asiaticis & Ægyptiis imperio esse sub *Augusto* potitam Monarchico, hujusq; titulum & dignitatem ad *Carolū M.* & Germanos esse translata?

§. 2. Ut vero quàm isthac non mirabilis modo, sed & justa fuerit imperii Romani ad *Carolū M.* & Germanos translatio appareat, historiarum hic consulenda sunt monumenta. Cum *Constantinus M.* sedem Imperatoriam transtulisset *Byzantium*, occidentale imperium certis gubernandum præfectis fuit ab ipso & successoribus commissum. Inter hos præfectos maximam meritum sub *Justiniano* fuerat laudem *Narses*. Hujus vero gloriam *Justinus II.* suspectam habens non revocat eum tantum, institutoq; in Italia Exarchatu sufficit eidem *Longinum*; sed & *Sophia* conjux ejus contumeliâ Virum afficit, dum redire ipsum ad pensa telasq; mulieres jubet: erat enim Eunuchus. Isthac vero accensus ille contumeliâ, *Longobardos* (quorum ipse auxilio Italiam antè liberaverat) ex *Pannonia* in Italiam revocat. Ab his *Longobardis* sedem in Italia figentibus per ducentos annos non Exarchi tantum Imperatorum vicarii, sed ipsa quoque vexata miserè fuit Italia; tandem quoque *Aistulphus* Rex *Longobardorum* finem plane Exarchatui imperioque occidentali in Italia impōrturus, *Ravennâ* capta *Eurybium* Exarchum ultimum *Constantinopolim* se recipere cogit, ipisq; Romanorum Pontificum ditionibus potiri occipit. His vero insultibus Pontifex

Steph. II. meritò motus, cum Imperatores orientales Italiam promissa haberent, & vix orientem ab insultibus Saracenicis defendere quirent, ad *Pipinum* confugit, qui ex Magistro domus Rex nuper Francorum factus. Ille vero *Aistulpho* bis devicto Exarchi terras extorquet Pontificisq; ditiones liberat. Cum vero dehinc successor *Aistulphi Desiderius* contra pacis condiciones *Pipino* promissas armis reposceret has Exarchi terras, Romano Pontifici à *Pipino* donatas, mox *Hadrianus* tunc Pontifex per vestigia antecessoris ductus de auxilio interpellat *Pipini* filium *Carolus M.* qui fatigato mox *Desiderio* totoq; Longobardorum regno in suam potestatem redacto, ablatis à *Desiderio* agros *Hadriano* restituens, principio quidem redhostimenti loco *Patricius* Romæ creatur &c. Deinceps vero etiam, cum à *Leone III. Papa*, quem antro incluserant, inploratus redisset Romam, causaq; cognita Leonem restituisset, mox Imperatoris Romani à *Æthiops* ab Italica accipit nobilitate, populo simul Romano acclamante, Papaque *Leone* declarante (conf. Disp. nostram de Exarchatu Ravenn. in fine) Isthoc vero Imperatoris titulo non est usus, nisi factâ prius transactione cum illis, qui Constantinopolin tenebant, justiq; erant occidentis Domini, scilicet *Irene Augusta* vidua & *Nicephoro* successore. Illi vero translationi huic statim consentientes cum *Carolo* ita transegerunt, ut hic occidentis, illi orientis Imperatores essent, amboque fratres, ambo Impp. ambo Angusti appellarentur.

§. 3. Ita ergo *Carolus M.* justè & triplici quidem jure, belli sc. ad quod fuit ut defensor vocatus, suffragii populi Romani, & transactionis cum Impp. orientalibus, transtulit Imperium occidentale ad Germanos. *Carolus* enim fuit Germanus, *Ingelheimi* natus, quam urbem duobus passuum millibus à *Moguntia* distare *Cuspinianus* in ejus vita refert. Fuit & Rex non tantum Francorum (qui & ipsi ex Germaniæ parte *Franconia* oriundi Galliam invaserant) sed & quorundam Germaniæ populorum: quin & deinde Saxonibus devictis & ad fidem Christianam conversis imperitavit. Si vero triplici, quod diximus, jure imperium transtulit, tum frustra sunt Pontificii, contendentes *Papam Leonem* id transtulisse, ejusque beneficio & largitione Germanos Imperium possidere adeoq; imperium esse feudum *Papæ*. *Papa* certè, quia Imp. Romanum in sua non habuit potestate, transferre illud non potuit. Hinc & *Ferdinandus*

nandus I. resignante Carolo V. se Imperii successorē non ex Pontificiā gratia, sed ex Electorum creatione proficitur, R. I. d. anno 1539.

MEMBR. III. de MATERIA.

§. 1. *Materia Imperii nostri est territorium*, quod imperium recipit. Territorium hoc sunt regiones & provinciæ Imperio Rom. subiectæ. Fuit hoc aliquando latius, aliquando vero strictius: ideoque prima Imperii tempora à mediis, & hæc discernenda sunt ab ultimis. Primis temporibus cum jacta essent initia urbis à fratribus Romulo & Remo, territorium fuit angustissimum. Ex his tamen exiguis initiis tam amplum successu temporis factum est imperium, & quidem mediis temporibus sub Augusto & potissimum sub Trajano, qui anno Christi 98. imperare cœpit, adeo excrevit & patuit, ut ab ortu & occasu fines regiminis sui terminarit. Ultimis vero temporibus & quidem hodiè *Germania* tantum subest imperio & pars quædam Italiæ &c. reliquis regionibus de facto subtractis.

§. 2. Ad materiam quoq; spectant *partes materiales*, in quas imperium aliàs tanquam corpus dividitur, sc. Caput, quod Imperator, & membra quæ sunt Status &c: vel si mavis *subiecta imperantia & parentia*. Subiecta imperantia sunt vel *principale*, vel *minus Principalia*. *Principale est Imperator*, qui juxta hodiernum Imperii statum est supremus Princeps, qui secundum Carolinam Constitutionem legitimè electus summæ rei Romano - Germanicæ præest. In Recessibus Imperii vocatur *das Oberhaupt im H. Römischen Reich*. Nomen *Imperatoris* stante Republ. illis tribuebatur, qui exercitui cum Imperio erant præfecti, inde vero hoc nominis tanquam minus invidiosum assumerunt Cæsares; Quale etiam nomen *Principis* fuit, quo se Augustus appellari tanquam minus invidioso quam Regis maluit, ne civium animos concitaret. Nomen *Cæsaris* initio familiæ fuit, non officii & potestatis, uti hodiè; sed constituto à C. I. Cæsare regio dominatu, successores uti conditoris imperium susceperunt, ita & nomen assumerunt: eadem ferme ratio nominis *augusti*. Notanda vero circa hoc caput (1) *Causa efficiens seu constituens Principatus*; Hæc est Deus T. O. M. qui ut supra dictum deponit Reges & instituit. Unde & Impp. divina se favente gratia imperium habere fatentur.

§. 3. *Causa minus Principalis* sunt *Electores*, qui hodiè sunt alii ac olim. Olim certè Imperatorem non semper honoratiores, quorumque

rumque jam antè aliqua in populo autoritas fuit aut dignitas, elegerunt; sed militari nonnunquam & ne recto quidem appellati sunt Impp. judicio, cum sc. qui succederent, hæredes deerant. (Errant enim qui semper Imperium fuisse electitium, vel principium electionis post Caligulæ interitum ponunt.) Cum C. Caligula Tyrannicè imperasset, & ob id occisus esset, nec, qui succedere posset hæres, existeret, summa rerum ad Senatum populumq; Rom. rediisse videbatur. Quàm variè Romani tum differuerint, ex *Svetonio* intelligimus. Quomodo item cunctantem Senatum ac populum milites anteverterint, *Claudio*, electionem tunc primi instituerint & Senatus quamvis invitus assensus fuerit, reperire ibidem licet. Posthac cum successisset *Claudio* rerumque adhuc potiretur *Nero*, à milite itidem salutatus est imperator *Galba*, non in urbe sed in provincia Hispania. Idem de *Ottone*, *Virellio*, *Vespasiano* & aliis Impp. legere est. Post *Constantini* hujusque filiorum tempora electio itidem facta quandoque à milite fuit, & majori quidem specie recti; quod jam alia sedes imperii destinata esset Constantinopolis, atq; ita ambiguum videretur, in quam urbe imperator appellandus esset. Ceterum talis electio magnas sæpe excitavit turbas, adeoque res mali sine dubio fuit exempli. In eligendo principe eorum potius judicio & consensu præcipuè est standum, quorum jam antè fuit præcipua autoritas rerumq; gerendarum potestas. Porro & in certa urbe & quidem quæ jam antè Imperii sedes fuerit, electionem fieri convenit. Sic igitur factum circa quorundam fuit Principum electionem. Occiso *Domitiano* Imperator à Senatu appellatus fuit *Nerva*, interfecto item *Aureliano* *Tacitus*: Si vero miles antevertisset Senatum, Imperatores tamen lectos id dedisse operam, est proditum, ut Senatus Pq; R. consensum obtinerent; quomodo inter alios *Macrinus* fecisse legitur. Ipse etiam miles, quamvis ut plurimum anteverteret Senatum, satis tamen intellexit idem, quod factum suum sit parum decorum: hinc & excusationibus subinde fuisse usos legimus. Cum vero Byzantium sedi Casareæ esset destinatum, ejus quoq; Senatus in eligendo Principe magna fuit autoritas, quippe cujus suffragiis *Theodosio Juniori* successus est *Martianus* &c.

§. 3. Hodie vero electio Imperatoris per *auream*, quam vocant, *Bullam* delegata *septem* est *Principibus*, qui & nomen ab ista electione

electione jure obtinent perpetuo. De horum vero *origine, numero & actu* quædam hinc interferere ab instituto non erit alienum. Quod *originem* attinet, notandum, non tum demum id fieri capisse, ut 7. principibus electio Imp. delegaretur, cum aurea Bulla seculo XIV. sub Carolo IV. conficeretur; sed idem illud obtinuerat quoq; jam antea & minimum quidem à temporibus Friderici II. adeoque centum & multo amplius annis ante Caroli IV. imperium aureæq; bullæ compositionem; Fridericus enim seculo XIII. vixit, quem excepit Rudolphus I. primus inter Austriacos Imperator. Dissentiunt vero autores in monstranda collegii Septemviralis origine: quidam dicunt expressa id ipsum constitutione tempore Ottonis III. qui seculo regnavit X. cœpisse, & horum alii ab *Ottone* ipso, alii & quidem Rom. curiæ assentatores à *Gregorio V.* Papa Ottonis *συγγένῳ* & consanguineo hanc constitutionem factam censent. Ita vero *Martinus Polonus* qui à *Friderici* II. imperio ad *Rudolphum* ætatem duxit, in vita Ottonis III. *Et licet tres isti Ottones per successionem generis regnarint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem &c.* Et Bellam l. 3. de transl. imp. c. 3. scribit: *Electores imperii non ab Ottone III. Imp. sed à Gregorio V. Pontifice Maximo sunt instituti.* Quidam longe post Ottonem III. & circa vel post Friderici demum II. tempora cœpisse contendunt. Inter illos vero qui Constitutionem Collegii hujus seu ab *Ottone III.* sive à *Greg. V.* factam impugnarunt, fuit *Onuphrius Panvinus* in lib. de comitiis Imperatoris. Quin ante illum *Joh. Aventinus* in Annalibus Bojoaricorum id jam in dubium vocarat scribens: *se compertum habere post fata demum Frid. II. institutos fuisse septem Electores & à Greg. X. confirmatos.* Quorsum & facere videtur, quod historia teste inde ab Ottonis III. temporibus usq; ad Frid. II. Imperatores soliti sint creari non à 7 modo principibus sed ab omnibus, quibus ex Germ. & Italia interesse placeret. Certè de Henrici II. electione, qui Ottoni III. successit, & *Conrado* qui Henricum II. excepit constare id ex *Ottone Frisingensi* potest qui scribit: *mortuo sine herede Ottone 3. Henricus ab omnibus regni proceribus electus. Defuncto sine filio Henrico Conradus natione Francus ab omnibus electus regnum sortitur.* Idem de Frid. I. idem refert. Et de ipsius quoq; Frid. II. electione *Conradus Urspergensis* Abbas ita memoriæ prodidit: *Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, Dux Austriæ, Dux Baviariæ, Landgravius Thuringiæ & alii plures convenientes Fridericum*

5
Regem Sicilia elegerunt. Nos quid de hac controversia statuendum, in ipso exponemus conflictu, cum h. l. ob pagellarum raritatem, haut liceat. Ad illud tamen quod de Papa afferitur dicimus, aliud esse consulere Imperatori, ut constituat, eligendum esse posthac Imperatorem è solis Germanis & per solos Germanos; aliud constituere, mandare, præscribere. Prius concedimus factum esse à Greg. V. cum ab Oct. 3. esset restitutus: posterius pernegamus.

§. 4. De numero Electorum constat, quod ordinariè & ab initio fuerit *septenarius*; Hodè vero auctus est. Octonarius vero iste ortus eo est tempore, quo *Elector Palatinus Fridericus* contra *Ferdinandum II.* Regni Bohemiæ coronam suscepit. Cum enim Dux Baviariæ *Maximilianus* contra *Fridericum Palatinum* operam navasset strenuam *Ferdinando II.* Imperatori, in præmium ipsi ejusq; successoribus Electoratum *Friderico* abrogatum *Cæsar* contribuit, quem & hodiernum ejus posteri retinent. Bello autem Bohemico-Germanico ante viginti & quod excurrit annos finito restitutus quidem est Palatino Electoratus, ita tamen ut & Bavarus ad certum usq; tempus, quod in instrumento pacis videre licet, dignitatem Electoralem retineret, atq; ita eousq; 8 Electores essent. Quem numerum etiam Imperator noster *Dn. Leopoldus* servaturum promissit in *Capitul. §. 2.*

§. 5. Quod ipsum *electionis actum* attinet, circa hunc notari meretur, quod sit vel *ordinarius* vel *extraordinarius*. *Ordinarius* instituitur quando eligendi *Cæsaris* necessitas emergit & Imperium vacat. Fit autem illud vel per *mortem*, quod frequentissimum est, vel per *liberam resignationem*, quando *Cæsar* sponte sua Imperii fasces deponit: Ita *Seculo I. Coccejus Nerva* ob grandævam aetatem, *Seculo III. Diocletianus Herculeus* cum *Maximiliano Jovio*, *Seculo IX. Lotharius I.* & *Seculo superiori Carolus V.* abjectam imperandi curam aliis commiserunt: vel per *depositionem*, quando imperiali diademate aliquis exuitur, de quo tamen vacandi modo disputatur. Interim nec hic exemplis destituimur. Certe *Seculo IX. Carolo Crasso* deposito *Arnulphus Patruus* sarrogabatur, & *Seculo XIV. in ipso ejus fine Wenceslao Rupertus*, *Extraordinarius* instituitur, quando Imperatore adhuc vivente utilitatis publicæ causâ *Rex* eligitur *Romanorum*, ut sit perpetuus Imperii vicarius & vel absente Imperatore vel eodem impedito Imperii habenas flectat, mortuoq; deinceps Imperatore, vel alio ceu diximus modo vacante imperio (qui contigit sub *Carolo*

Carolo V.) in nomen dignitatemq; & auctoritatem Imperatoris sine ulteriori electione succedat. Ita ex Casareologia constat Seculo X. cum Ottone I. filium Ottonem, & Seculo XI. cum Henrico II. Sancto & Claudio Conradum II. Saliquum, & Seculo XVI. cum Carolo V. Ferdinandum I. fratrem, & hoc seculo cum Ferdinando II. Ferdinandum III. & non ita pridem cum Ferd. III. regnasse, quamvis brevi spatio, Ferdinandum IV. Quæritur vero quomodo existente Romanorum Rege duo possint in imperio esse summâ potestate præditi? Resp. Quod non insolens sit duos vel plures eodem tempore esse Imperatores, ex Casareologia patet. *Dioletianus* & *Maximianus* in affinitatem & consortium vocabant *Constantium Chlorum* & *Galerium Maximinum*. Et posterior hic duobus prioribus imperium sponte resignantibus Constantioq; Chloro solis Galliaë Britanniaëq; terris contento adscivit collegas Maximinum Dazam & Severum. Seculo IV. quatuor simul imperio præsidebant *Constantinus M.* & *Maxentius* filii Augustorum, *Maximinus* item & *Licinus*, conf. Disp. nostra de Constantino M. membr. I. &c. Hodie vero eo utitur imperium jure, ut unus tantum constituatur. Quod vero necessitate sic urgente Rex ei adjungitur Romanus, hoc ipso non duo constituuntur potestates summæ, sed magnum ratione potestatis Imperatorem inter & Regem Rom. est discrimen. Hic enim non suo sed Cæsaris nomine Remp. administrat: non utitur aquila duplici sed simplici, non Bulla sed sigillo &c. Dicere hic possemus de loco Electionis, & aliis; sed instituti ratio ad alia transire jubet.

§. 6. Illud vero ex discursu de Electoribus consequitur Imperium nostrum hodie esse *Electivum* non hereditarium. Quamvis autem per annos jam 200. & amplius continua serie ex una eademque domo Austriaca successerint Imperatores, sc. *Albertus II.* Gener & successor *Sigismundi*, sub quo hæc Acad. Rost. fundata. *Frid.* III. patruelis Alberti, *Maximilianus I.* *Carolus V.* *Ferdinandus I.* *Maximilianus II.* *Rudolphus II.* *Matthias*, *Ferdin.* II. *Ferdin.* III. & hodiè feliciter regnans *Leopoldus*, adeoq; jam XI. Imperatores Austriaci continue rerum sint potiti, cum antea, etiam interrupto tamen ordine, ex eadem familia Austriaca seculo 13. regnasset *Rudolphus I.* Habsburgensis & seculo 14. Filius ejus *Albertus I.* quanquam etiam non diffiteamur à nonnullis Imperatoribus Austriacis tentatum & curatum, ut vivo se successores designarentur filii, quomodo primus Austria-

7.
cus *Rudolphus* multis precibus & promissionibus inducere proceres est conatus, ut filium *Albertum* successorem designarent, sed frustra: quomodo & tentatum illud à Frid. III. & Maximiliano I. Patre & filio, item à Carolo V. & Ferdin. I. fratribus & quidem feliciter; non tamen hæc domus hæreditario jure imperium possidet, id quod post alios quoque hodiernus Imperator Dn. *Leopoldus* in sua capitulatione Anno. 1658. Artic. 39. fatetur: Unde insonderheit sollen und wollen wir uns seiner succession oder Erbschaft des Römischen Reichs an massen &c.

§. 7. A causa constituyente Imperatorem progredimur ad *Materiam*. Huc referimus *Nationem* ex qua hodie Imperator eligitur. Ita secundam Constitutionem Ottonis III. & juxta A. Bullam est *Natio Germanica*. Non tamen *promiscuè* ex quavis sed ex *illustri familia* oriundus constituitur Imperator. Ad minimum vero *Comes* esse debet, quomodo primus Austriacus Imperator *Rudolphus* Comes fuit Habsburgicus, quem nihil tale cogitantem, cum Basileam urbem obsidione cingeret, elegerunt, cui successit *Adolphus* itidem Comes Nassoviensis. In persona illa quoque ad *potentiam* est respiciendum, qua sumtus, quæ ad dignitatem Imperatoriam requiruntur, ferre possint. Hinc *Moguntinus* in electione Caroli V. ad potentiorum colligans Collegas suos hortatus est, ne leporem præficiant Leonibus. Videndum tamen est, prout *Trevirensis* tunc temporis falsè respondit, ne ciconia præficiatur ranis. Sleid. de Elect. Caroli V. Hinc & hodie Imperatores ex domo eliguntur Austriaca non tantum propter virtutes & merita Majorum præmium tale exposcentium, sed maximè etiam ob potentiam, qua infensissimo Christianorum hosti validè possunt resistere. Conferatur tamen seq. §. circa finem.

§. 8. *Forma* Imperatoris est *Majestas* sive *summa* in imperio Rom. Germanico *potestas*, quæ tamen per Capitulationem aliquantum moderata, ita ut non solus omnia sine procerum consilio & consensu agat, id quod capitulationes passim produunt. Olim quidem Imperium Cæsarum absolutam continuit majestatem, quomodo & potestatem Græcorum Imperatorum regiam omnino fuisse historiæ prodiderunt; Circa Seculum vero X. vel XI. post *Ottonum* sc. tempora potestas illa Cæsarum limitari cum in sacris tum in profanis capit. In sacris quidem evilesceere eam fecerunt Pontifices Romani, dum sacrorum curam Cæsaribus ereptam sibi vindicarunt. Competerat certè Imperatoribus illibata Pontifices

ces

ces Romm. creandi potestas, nec de illa ambigere quisquam sustinuit: quomodo ipsam seculo XI. *Henricus III. Niger* liberè adhuc & gloriosè exercuit, dum tribus Pseudopapis *Benedicto* sc. IX. *Sylvestro* III. & *Gregor.* VI. Romæ simul sedentibus vel de sede certantibus dejectis *Clementem* II. surrogavit, lege confirmata, ne postea sine consensu Cæsaris Papa crearetur. Quin *Clementi* defuncto suffecit *Damasum* II. & huic denuo *Leonem* IX. & illi deniq; successorem dedit *Victorem* II. Ceterum brevi post, *Henrico* sc. IV. hujus tertii filio regnante, nequissimus ille *Hildebrandus* seu *Gregorius VII* edicto non tantum præcipere Episcopis sustinuit, ne distribui Episcopatus ab Imperatore paterentur, neve confirmationem ab eodem peterent; sed legem quoq; à tot Imp. & Episcopis Romm. de non creando sine consensu Cæsaris Papa sancitam, confringere prorsus manibus pedibusq; est annixus. Quo sine & Saxones contra *Henricum* IV. excitavit, ut interea Cæsareæ majestatis jugum excutere liberius quiret. *Henricus* tamen IV. Imperii Majestatem post varios casus post tot discrimina rerum contra Pontificem mascule defendit, dum *Gregorio* illi VII. de sede remoto *Clementem* III. suffecit. Ceterum quod sub Patre non licuit obtinere Pontificibus, id filio deinceps *Henrico V.* extorxisse memoratur *Calixtus*. Ille enim licet iisdem sese initio opposuerit; tandem tamen Anno 1122. machinationibus eorum, suasu procerum, cessit, jusq; creandi Pontifices & constituendi Episcopos, jura deniq; sacrorum omnia Pontificibus præviâ renunciatione concessit. In profanis quoq; eò tempore decrevit potestas Imperatoria, quò procerum Germanorum suffragiis eligi imperatores cœperunt: Dehinc enim certis legibus potestatem eorum circumscripserunt, ut amplius pro arbitrio omnia statuere non potuerint, sed proceres etiam in Imperii societatem adsciscere necessum habuerint, idq; præsertim sub *Carolo IV.* factum esse per *Auream Bullam* historiae tradunt. Quin ex eo quoq; tempore opes ac patrimonia imperii distrahi nimis cœperunt, ut quæ ad splendorem dignitatemque Cæsaris sustentandam pertinent propriis cujusq; Cæsaris opibus incumbant. Nam *Carolus IV.* qui illicitis ipse artibus Cæsar erat factus, filium degenerem *Wenceslaum* magnis promissis ad imperium evehere satagens, cum stare illis non posset, publica Imperii veſtigalia & patrimonia distraxit, proceribusq; concessit. Unde fit, ut in electione Imperatorum *Austriaci* cæteris hæcenus ditiores & potentiores præferuntur, perq;

ducentos & quod excurrit annos soli Cæsareâ coronâ fulgeant. Di-
gna profectò materia, quam uberius persequeremur; sed breves
esse, ubi ubi licet, cogimur.

§. 9. De *sine* Imperatoris hîc agendum prius foret, quàm
ad alia progredieremur, nisi *finis* ejus cum *sine* Imperii, de quo circa
finem agendum, ferè coincideret. Nunc ergo à *subjecto Imperantis*
principalia seu *Imperatore* deveniendum ad *subjecta imperantia minus*
principalia seu coadjuvantes. Sunt illi vel *ordinarii* vel *extraordina-*
rius. De *extraordinario*, qui est *Rex Romanorum*, jam supra dictum.
Ordinarii sunt *Status imperii*, qui in multis cum Cæsare concurrunt,
quorumque consensum in rebus arduis requirere subjectum princi-
pale tenetur. Sunt autem *Status Imperii*, qui in matricula imperii
comprehensi ratione subjecti territorii in comitiis suffragia ferunt.
Quoniam v. in Imperii comitiis per tres classes suffragia feruntur,
hinc Status in triplici sunt differentia: Distribuuntur ergo in *Electo-*
res, *principes & civitates Imperiales*. Jura vero, quæ status Imperii
cum Cæsare habent communia, sunt potestas condendi leges uni-
versales, quæ propterea *Recessus Imperii* vocantur: potestas arma tra-
standi & foedus pangendi &c. conf. capitulationes, quæ, quas Ma-
jestatis partes non impertiant Status, declarant. Ut ut verò hæc
& alia inter Cæsarem & Status sint divisa, ita ut hinc Cæsaris inde
Statuum tanquam duorum inter se convenientium consensu decreta
fiant; quàm multa tamen ad solius Cæsaris Imperium spectant, quæ
solus ac proinde monarchicè temperat, & in quibus nulla est Sta-
tuum superioritas. Cæterum hæc tetigisse sufficiat, nefalcem no-
stram immittere in juris Publici Doctorum messem videamur.

§. 10. Quod *subjecta Imperii parentia* attinet sunt illa *subditi*, qui
quinque potissimum modis distingui videntur. Quod 1. ratione
ordinis alii sunt *primarii*, ut *Electores*, *Principes & Civitates Impe-*
riales, alii *secundarii*, qui sunt reliqui inferiores. 2. Ratione *dignitatis* alii
nobiles, alii ignobiles, quæ divisio ferè cum priori convenit. 3. Ratione
status alii sunt *Ecclesiastici*, alii *seculares*. 4. ratione *habitus*, alii *literati*,
alii *illiterati*. 5. Ratione *Politie* alii *immediatè imperii subditi*, alii *me-*
diatè &c. sed neq; his & aliis immorari nobis licet. Præterimus quoq;
scientes *objectum* seu res in quibus potestas imperii occupatur &c.

MEMBR. IV. de FORMA.

§. 1. *Forma* seu *Status Imperii* hodie alius est ac olim. Ini-
tio fuit *monarchicus*, cum omnia septem Regum arbitrio sunt admi-

administrata; verum Regibus ob Lucretiae pudicitiam à Tarquinio superbo Rege ultimo violatam ejectis, factus est *Aristocraticus*, qui postea in *Democratiam* degeneravit: donec tandem sub *Julio Casare & Augusto* effectus est *Monarchicus*. Ex jam dictis vero collectum est proclive, statum imperii ab Augusti temporibus in hunc usq; diem non mansisse *purè monarchicum*. De primis quidem Germanorum Imperatoribus dubium non est, quin Monarchicè imperaverint: de posterioribus verò, qui post Auream Bullam rerum sunt potiti itemq; hodiernis, non levis est inter Politicos & Juris publici doctores controversia.

§. 2. Quidam contendunt Formam hodierni Imperii esse *absolutè Monarchicam*: sed quia penes solum Imperatorem hodie summa potestas non est, uti ex dictis claruit, nos illis non adstipulamur. Alii *Aristocraticam* esse opinantur: Còterùm quia Casari multa statuere licet Statibus imperii inconsultis, hisq; rursus sine Imperatoris nutu facere quaedam fas non est, neq; *Aristocraticam* esse concedimus. Alii remotis Reip. simplicis speciebus, *mixtam* habere hic locum judicant, adeoq; formam ejus dicunt *Monarchicam Aristocratià* temperatam: licet enim nonnulla Casar habeat cum Statibus communia; videmus tamen status Imperatoris præstare jura-mentum non tantum fidelitatis, sed & subjectionis: unde omnibus & singulis imperii statibus & civibus imperat: proceres Imperatorem respectu regalium non ut parem, sed ut præcipuum membrum, caput sc. agnoscunt: quam plurima etiam Majestatis jura sibi habet propria. Num verò *Monarchia*, an verò *Aristocratià* præmineat, disquiritur? nobis Monarchia prævalere videtur.

MEMBR. V. de FINE

§. 1. *Finis* Imperii *causalitatis* est Dei gloria & Reip. Romano-Germ. honor, tranquillitas, salus & emolumentum, quod quaerere & tueri Casares decet: uti illud in principio Capitul. promittunt. Sed hunc finem imperium nostrum cum aliis rectis Rebusp. habet communem. *Proprius* autem finis videtur complementum vaticinii de 4. Monarchiis apud Daniel. c. 2. ubi & *finis terminationis* imperii Romani constituatur finis mundi.

§. 2. Post hæc de divisione imperii dicendum esset, item de pugnantibus s. causis diminuentib⁹, quales sunt Turcæ Tyrannis, Papæ fraudes &c. sed per angustiam pagellarum nunc nobis non licet esse longioribus.

D. S. B. I. S. S. A.

Romani Imperii doctis inquiris in ortum
Tmematibus, cui non perplacet ille labor?
Invidiæ cujus nî uratur pectus ab æstu:
Cuiq; est alterius nomen honosq; gravis.
Sed nihili invidiam facias, spernasq; malignos,
Assistent cœptis Numina sancta tuis.
Nec te pœniteat Sophiæ scandisse cathedram,
Si absit Aristoteles nil valet alma Themis.
Ergo sacram Sophiæ Themidem sociabis, amice,
Præmia (crede mihi) digna labore feres.

Casparus Haberman Phil. & J. U. D.

De Politiff. Pereximioq, DN. RESPOND.
*hactenus Auditore meo in Hist. &c. maxime industrio, ante abitum
industriæ specimen edituro.*


Jura colunt multi, sed non avertere noxas
A miseris properant: quin magis arte nocent,
Hos male Christjanos dicas: prodesse cuivis
uncli sacrato Flamine semper amant.
Quid noster? sic jura colit, sic * *unclius* is audit, *Anagr. *Cunsius*
Ut † sit abhinc † sanè justus & † *innocuus* † Anagr. *Joannes Cunsius*
Interea specimen quod jam parat edere grator: *Z in ts resol.*
Utq; decus patriæ sit columenq;, precor!

M. A. D. Habichhorst.

Sugend in Eyl
Bringt glückliche Pfeil.
Tugend und Jugend in eyfriger Brunst
Können erregen unzehlige Gunst
Bey Menschen auff Erden.
Dise gedenkt auch Herr KUNZ zu gewinnen/
Weil von den Römern und Teutschen sein Sinnen.
Es mus Ihm Gunst werden:
Ob Theon gleich wacht/
Und dises verlacht/
Wird durch sein Tadeln doch dis nicht verzehret/
Was Ihm die Kunst ist zum Dank-Schaz verehret.

G. D. Höfer.





ces Romm. creandi potestas, nec erat: quomodo ipsam seculo X gloriosè exercuit, dum tribus P III. & Gregor. VI. Romæ simul rejectis Clementem II. surrogavit, consensu Cæsaris Papa crearetur cit Damasum II. & huic denuo Le dedit Victorem II. Ceterum brev filio regnante, nequissimus ille non tantum præcipere Episcopis ab Imperatore paterentur, terent; sed legem quoq; , à tot creando sine consensu Cæsaris manibus pedibusq; est annexus, cum IV. excitavit, ut interea Cæberius quiret. Henricus tamen rios casus post tot discrimina refendit, dum Gregorio illi VII. cit. Ceterum quod sub Patre filio deinceps Henrico V. extorsit licet iisdem sese initio opposueratinationibus eorum, suavisu pontifices & constituendi Episcopos tificibus præviâ renunciatione copore decrevit potestas Imperato suffragiis eligi imperatores coepotestatem eorum circumscripta omnia statuere non potuerint, sed tem adsciscere necessum habuerat factum esse per Auream Bullam h tempore opes ac patrimonia imque ad splendorem dignitatemq; propriis cuiusq; Cæsaris opibus illicitis ipse artibus Cæsar erat laum magnis promissis ad imperis non posset, publica Imperii proceribusq; concessit. Unde Austriaci cæteris hactenus ditior

re quisquam sustinuit, Niger liberè adhuc & predicto sc. IX. Sylvestro e sede certantibus deata, ne postea sine nenti defuncto suffe deniq; successorem o sc. IV. hujus tertii u Gregorius VII edicto e distribui Episcopationem ab eodem peopis Romm. de non confringere profus axones contra Henri is jugum excutere libestatem post vari pontificem mascule de Clementem III. suffe nere Pontificibus, id r Calixtus. Ille enim amen Anno 1122. mat, jusq; creandi Pontificorum omnia Pontificis quoq; eò temperum Germanorum c enim certis legibus plus pro arbitrio om in Imperii societatem sub Carolo IV. t. Quin ex eo quoq; imis coeperunt, ut tentandam pertinent Nam Carolus IV. qui degenerem Wencesatagens, cum stare ilatrimonia distraxit, stione Imperatorum, es præferuntur, perq; ducentos

